

EPISTULA LEONINA

CLXXVI

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM SEXTAM (176) !

ARGUMENTA

FIDE SED CUI VIDE.....	03
FABELLA GRIMMIANA: De tribus filiis fortunatis.....	04-08
FABELLA GRIMMIANA: Sex viros venire per totum mundum.....	09-16
MYTHI GRAECORUM: Hercules et Deianira.....	17-20

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam
septuagesimam sextam.*

*En habes proverbium et duas fabellas Grimmianas necnon mythum
Herculeum.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 176 tolle et lege et ... pancraticē
vale et perge mihi favere!*

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominicā, 30.m. Sept., a.2018**



FIDE SED CUI VIDE

**Sub tectis hominis, praenuntia veris, hirundo
 nidificans: Homini non habet usque fidem.
 Par vitium cunctis, et nulli credere velle:
 Sed medium sapiens inter utrumque tenet.
 Fide, sed ante vide, cui tuto fidere possis:
 Et quia non tutum est fidere, fide Deo.**

Nicolas Reusner: Emblemata etc. Francofurti ad Moenum 1581, Embl.II, Nr.37, in:
 Arthur Henkel & Albrecht Schöne (edd.): *Emblemata*, Stuttgart 2013, p.874.

cfr *apologus Aesopicus, qui est de Leone et Capra*:

P. IRENAEUS a Sancta Catherina: Mithologica sacro-profana, seu florilegium fabularum. Flexiae 1666, p.119: Contemplabatur aliquando Capram Leo inter abrupta montis et loca dumosa pascentem, ipse in imo ac fundo positus. Ad quam cum non posset accedere, coepit blande salutare, invitare ut descenderet et in planitie thymum suaveolentem, salices, serpillumque demessura veniret. Gratias agit illa, frustra rogare ut veniat; quia etsi bona verba ex sua parte audiat, porro mentem suam non videat, et se Capram illum Leonem esse sciat. Innuens inimicis nunquam fidendum, licet blandientibus, nec ullum nocendi aditum concedendum.

Fabulae Aesopi selectae, or Select Fables of Aesop: with an english translation, more literal than any yet extant, designed for the readier instruction of Beginners in the latin tongue, By **H. Clarke**, teacher of the Latin language, Baltimore 1817, p.46, FABLE LVII: “De Leone & Capra. Leo forte conspicatus capram ambularem edita rupe monet, ut descendat in viride pratum: Capra inquit: “Fortasse facerem, si tu abesses, qui non suades mihi istud, ut ego capiam ullam voluptatem inde; sed ut tu habeas, quod famelicus vores”.


FABELLA GRIMMIANA

70. De tribus filiis fortunatis



Aliquando pater tres filios iussit ad se venire et primo donavit gallum, alteri falcastrum, tertio cattam. Pater: »Cum senex iam sim« inquit, »moriturus, ante finem meum volo vobis prospicere. Pecuniam non habeo, et eae res, quas nunc vobis dabo, parvi pretii esse videntur, sed refert vos easdem adhibere prudenter; si quidem terram inveneritis, ubi tales res adhuc sunt ignotae, eritis fortunati«. Patre mortuo filius natu maximus cum gallo profectus est, sed quocumque veniebat, gallus ibi hominibus iam notus erat: in urbibus talem avem iam ex longinquu videbat in turribus sedentem et cum vento se circummoventem, in vicis autem nonnullum gallum audiebat cucurrientem, hominesque minus mirabantur de tali bestia, quam ut iuvenis videretur fortunatus fieri eadem vendendam. At tandem tamen ei contigit, ut adveniret insulam, ubi incolae nihil scirent de gallis ideoque ne sciebant quidem tempus suum recte dividere. Sciebant quidem, quando essent mane et vesper, sed nocte, nisi dormiebant, nemo eorum sciebat quota hora esset. »Videte« inquit, »quam

superbum hoc animal sit, quod in capite gerat coronam rubineam¹, in pedibus calcaria tamquam eques nobilis; idem vos nocte ter invocat certâ horâ, et cum vocat ultimo, sol est oriturus. Cum autem hoc animal vocat die lucido, oportet sciatis tempestatem mox mutatum iri«.




Hoc autem incolis insulae tam bene placuit, ut per totam noctem vigilantes laetissimê audirent gallum horis secundâ, quartâ, sextâ voce clarâ et magnâ tempus indicare. Qui ex galli possessore quaesiverunt, num hoc animal venale prostaret et quanti constaret. Idem respondit: »Hoc animal ferê tanti constat, quantum auri asinus fert«. Tum insulani unâ omnes: »Mirum est« inquiunt, »quod tantulum postulas pro animali tam pretioso« et postulatum libenter ei dederunt.

Frater maximus natu cum domum veniret divitiis abundans, fratres mirati sunt, et secundus: »Ego quoque« inquit, »proficiscar, ut


¹ *rubineus, -a, -um orig. *rubinrot*. cfr nomina botanica: *Musa rubinea*, *Selenicereus rubineus*. cfr Edwin Habel, Friedrich Gröbel: *Mittellateinisches Glossar*. Unveränderter Nachdruck der 2. Auflage. Schöningh, Paderborn 1959, [ISBN 3-506-73600-0](#), [DNB 451748891](#), Spalte 345, Eintrag „**rubinus**“. cfr Onomatologia Historiae Naturalis Completa oder vollständiges Lexicon ..., Ulm, Frankfurt und Leipzig 1774, tom. 6, col.850, s.v. **Rubinus**: „Gemma rubina, gemma pellucidissima, duritie secunda, colore rubro in igne permanente. ... **der Rubin...**“

videam, num falcastrum meum etiam tanto pretio possim vendere». At hoc ei primum non visum est contingere, nam ubique incidebat in agricolas, qui haud aliud falcastrum ferebant umero impositum quam idem ipse. Tamen tandem aliquando ei contigit, ut inveniret insulam, in qua incolae nihil scirent de falcastris. Ibi cum frumentum maturuerat, insulani canones campis admovebant globisque iaculandis culmos desecabant. Haec autem ratio metendi parum erat certa parumque secura, nam unus globum iaculabatur super frumentum, alius pro culmis spicas iaculando abiciebat, ut multa grana perderentur et insuper strepitus fieret molestissimus. Tum vir in campo pedibus constitit et culmos falcastro suo tam placidē celeriterque desecuit, ut insulani stupefacti ora naresque aperirent. Itaque iidem parati erant filio alteri tantum dare, quantum postulavit, et idem equum accepit, qui tantā copiā auri oneratus est, quantam ferre potuit.



Nunc tertius frater etiam cattam suam voluit vendere pretio sat lucroso. Cui res similiter evēnit ac aliis, dum manebat in terrā continentī, nihil ei successit sat prosperē, nam ubique tot cattae erant, ut catuli eorum neonati plerumque aquis submergerentur. Tandem tertius frater pontone feliciter ad insulam pervēnit, cuius incolae ne ullam umquam cattam viderant; haec insula muribus tantopere

abundabat, ut iidem in mensis scannisque saltarent sive domino praesente sive absente. Itaque insulani de hac molestiâ vehementer lamentabantur, ipse rex in castello suo nullo modo sciebat se contra mures defendere: in omnibus angulis mures sibilantes corrodendo destruebant quaecumque dentibus poterant corripere. Cum autem catta coepisset mures venari et mox nonnullos oecos purgavisset, insulani regem oraverunt, ut animal hoc mirabile emeret ad usum regni sui salutarem. Rex autem libenter dedit postulatum: hoc autem fuit mulus auro oneratus, et frater tertius domum vînit thesauris omnium maximis ditificatus.



At catta in castello regio muribus capiendis optimê delectatus plures mures mordendo necavit, quam ut possent numerari. Tandem laborando calefactus sitivit; tum laborare desiit, capite sublato musivit: »Mus, mus«. Isto autem clamore miro audito rex eique subditi omnes territi ex castello aufugerunt. Infra rex concilium habuit, ut decernerent, quidnam sibi quam optimê esset agendum; denique decretum est, ut praeco ad cattam mitteretur, qui postularet, ut

aut castellum relinquenter aut sciret vim sibi adhibitum iri. Consiliarii autem dixerunt: »Malum vexari a muribus (nam ad hoc malum sumus assuefacti) quam vitam nostram offerre bestiae tam monstruoso«. Puer nobilis iussus est ascendere ad cattam, ut ex eâ quaereret, num parata esset castellum relinquere bonâ voluntate. At catta, cuius sitis etiam exulta erat, nihil respondit nisi »Mus, mus«. Puer autem nobilis falso intellexit: »Nolo penitus, penitus«, et responsum rēgi attulit. Consiliarii: »Ergo« inquiunt, »catta cedat armis«. Deinde cannonibus admotis castellum globis iaculandis accensum est. Cum oecus, cui insidebat catta, igne afficeretur, bestia feliciter e fenestrâ exsiluit; incolae autem globos igniarios iaculari non desierunt, usque dum totum castellum funditus everteretur.

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T.

Die drei Glückskinder

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

* *
*

FABELLA GRIMMIANA

71. Sex viros venire per totum mundum



Aliquando vir fuit, qui peritus erat artium variarum: idem in bello militiam exhausit, et fortiter pugnavit, sed bello finito dimissus nil accepit nisi tres denarios Hallenses. »Exspectate« inquit, »hoc non patiar, si aptos viros invenero, efficiam, ut ipse rex mihi tradat thesauros totius terrae«. Deinde irâ incensus in silvam iit ibique virum quendam vidit, qui sex arbores evulserat, quasi essent culmi cereales.



Quem allocutus: »Tune« inquit, »vis esse minister meus et mecum iter facere?« »Hoc volo« ille respondit, »sed primum volo matri meae hunc manipulum lignorum domum ferre«, et unam ex arboribus correptam ceteris quinque circumvolvit omnesque secum abstulit. Deinde reversus profectus est cum domino suo, qui: »Nos unâ« inquit, »puto per totum mundum venturos esse«. Cum aliquantis per migravissent, inciderunt in venatorem, qui genibus prostratus sclopeto posito collineabat.




Tum dominus eum rogavit: »Heus venator, quid vis sclopetando accipere?« Is respondit: »Duobus milibus passuum hinc remota musca quaedam sedet in ramo arboris quercûs, cuius oculum sinistrum

sclopetando volo eicere». Tum, vir: »O, vade mecum« inquit, »nos tres si unâ erimus, puto per totum mundum venturos esse«. Venator autem sequi paratus erat et unâ cum illis iter fecit, et pervenerunt ad septem ventimolinas, quarum alae celeriter circumrotabantur, quamvis neque a sinistris neque a dextris ullus ventus flaret neque moveretur ullum foliolum. Tum vir dixit: »Nescio, quâ re ventimolinae agantur, quamquam flat ne aurula quidem« et cum ministris migrare perrexit, et per duo milia passuum cum migravissent, aliquem virum conspexerunt in arbore sedentem, qui unâ nare digito conclusâ ex alterâ aerem flabat. »Heus quid agis illîc supra?« flatorem rogavit. Ille respondit: »Duobus milibus passuum hinc remotae stant septem ventimolinae, videte, quas inflo, ut earum rotae moveantur« Tum vir: »O, vade mecum« inquit, »nos, si quattuor unâ erimus, puto per totum mundum esse bene venturos«. Tum flator descendit et unâ cum aliis profectus est, et aliquanto post aliquem conspexerunt uno pede stantem, nam alterum loro soluto demptum iuxta se deposuerat. Tum dominus: »Tu quidem« inquit, »curavisti, ut sat commode quiesceres«. Ille autem: »Cursor sum« respondit, »et ne nimis celeriter prosilirem, unum pedem dempsi loro soluto; duobus pedibus si curro, celerius procedo quam avis volando«. »O, vade mecum, nos quinque si unâ erimus, puto per totum mundum esse venturos«.



Deinde ille unâ cum aliis profectus est, et paulo post in aliquem inciderunt, qui gerebat petasunculum, sed totum non capiti, sed alteri auri impositam. Tum dominus eum allocutus: »Oportet« inquit,

»petasum imponas decenter! Decenter! Noli eum ex aure suspendere, ne aspectum praebeas morionis«. Alter autem: »Hoc mihi« inquit, »non licet; nam petasum si rectê capiti imposuero, frigus ingruet tam ingens, ut aves sub caelo volantes frigescant et humum decidunt mortuae« Tum dixit dominus: »O, vade mecum, nos sex si unâ erimus, puto per totum mundum esse venturos«.



Nunc sex viri in urbem inierunt, ubi rex declaraverat ei, qui cum filiâ suâ certatim cucurisset et victoriam peperisset, ei permissum iri illam in matrimonium ducere; at eum, qui currendo a filiâ superatus esset, capite privatum iri. Tum vir nomen dedit certamini participando, sed dixit: »Sed volo ministrum meum loco mei cursorum esse«. Rex autem: »Si ita est, oportet illius quoque vitam pignori des, ita ut clade acceptâ et tuum caput et illius amputentur«. Hac re pactâ et confirmatâ vir cursori alterum pedem loro alligavit eique dixit: »Nunc propera nosque adiuva, ut vincamus«. Decretum autem erat, ut is, qui primus aquam apportavisset e puto longê remoto, victor esset. Deinde cursor unum urceum accepit, filia r̄egis alterum, et ambo simul currere coeperunt; sed eo momento temporis, quo filia r̄egis paululum tantummodo progressa erat, cursor iam a nullo spectatore est spectatus, qui praetercurrit venti velocitate. Idem brevi spatio temporis transacto puteum assecutus est, urceum aquâ haustâ complevit et revertit. Cursor autem medio in itinere domum faciendo fatigatus est, urceo deposito decubuit et obdormivit. Idem autem habuit calvariam equinam, quae humi posita erat tamquam cervical, quo dormiens tam

durê cubaret, ut mox expergisceretur. Interim filia rēgis, quae tam bene currebat, quam homo vulgaris currere poterat, puteum assecuta urceo aquâ completo properê revertit; cum ea cursorem conspiceret prostratum dormientem, laetans: »Adversarius« inquit, »est in meis manibus«, et urceo vacuefacto currere perrexit. Nunc paene iam omnia perdita essent, nisi feliciter accidisset, ut venator ille oculis acerrimis praeditus supra in castello statutus omnia videret. Tum idem dixit: »Filia rēgis utinam ne nos superet«, sclopetum suum oneravit globulumque tam aptê iaculatus est, ut cursore nequaquam laeso calvariam equinam capiti eius suppositam abiceret. Tum cursor experrectus prosiluit et vidit urceum esse vacuefactum filiamque rēgis iam pridem se praetercurrisse et longê remotam esse. At spe minimê abiectâ cursor cum urceo ad puteum recurrit et denuo aquâ haustâ decem minutis prius quam filia rēgis domum revertit. Cursor: »Videtisne« inquit, »nunc demum pedes sustuli, antea nondum cucurreram«.

At animus rēgis laesus est, et filiae rēgis etiam magis, quod futurum erat, ut eadem in matrimonium duceretur ab emerito milite gregario; unâ consuluerunt, quomodo defungerentur eo viro eiusque sodalibus. Tum rex filiae dixit: »Noli timere, ego invêni remedium, quo isti non iam domum veniant«. Itaque rex sex viris dixit: »Nunc oportet vos unâ delectemini, comedatis, bibatis«, et eos duxit ad conclave, quod instructum erat pavimento ferreo, ianuis etiam ferreis necnon fenestrîs, quae erant baculis ferreis instructae. In conclavi mensa obtecta erat cibis delicatissimis; tum rex viris dixit: »Introite cibisque fruimini«. Ubi primum sex viri conclavi infuerunt, rex iussit ianuam concludere atque obserare. Deinde iussit coquum advenire et ignem sub conclavi facere tam diu, usque dum ferrum fervore candesceret. Cum coquus hoc fecisset, sex viri in conclavi ad mensam sedentes cooperunt vehementer calefieri, et primo putaverunt hoc fieri cenando; at calore etiam atque etiam augescente cum foras exire vellent, sed ianua fenestraeque essent conclusae, animadverterunt regem esse malevolum seque velle suffocare. Tum ille vir petasatus: »Istud« inquit, »ei non continget, nam ego curabo, ut tantum frigus veniat, quanto senso ignis pudore apoculet pudibundus«. Deinde idem vir petasunculum suum collocavit erectum, et sine morâ exortum est tantum frigus, ut omnes calores evanescerent et cibi patinis impositi frigescerent. Nonnullis autem horis elapsis cum rex putaret omnes sex

viros esse calore absumptos, iussit ianuam aperire et ipse voluit illos conspicere. At ianuâ apertâ omnes sex viri stabant erecti, recentes atque valentes, et dixerunt se velle exire, ut calefierent, nam frigore magno cibos cum patinis esse congelatos. Tum rex irâ incensus ad coquum iit, eum increpuit, quaequivit, quare non id fecisset, quod sibi esset mandatum. At coquus respondit: »Satis multum ardoris adest, vide ipse«. Tum rex vidit sub conclavi ignem ardere ingentem et animadvertisit se hōc modo sex viris nequaquam nocere posse.

Nunc rex denuo cum deliberaret, quoniam modo defungeretur istis convivis molestis, ducem sex virorum iussit venire et: »Si ius filiae meae ducendae dimiseris, tantum auri accipies quantum volueris«. Ille autem: »Sanê quidem, Domine Rex« respondit, »si mihi tantum auri dederis, quantum minister meus portare potest, non iam postulabo filiam tuam«. Hōc responso rex contentus fuit, et ille vir addidit haec verba: »Itaque quattuor diebus post reversus aurum accipiam auferendum«. Deinde idem omnibus sartoribus totius regni convocatis mandavit, ut per quattuordecim dies sedentes saccum consuerent. Quem saccum perfectum ille vir, qui erat tam robustus, ut arbores posset ex humo evellere, iussus est subbaiulare et regem adire. Tum rex: »Babae!« inquit, »Quantus iste est gigas umeris portans pannum lini, qui habet integrae domûs magnitudinem?« et territus intra se cogitavit: »Quantum auri iste auferet!« Deinde rex iussit tonnam¹ auri apportare, quae portanda esset sedecim viris robustis, sed vir ille omnium robustissimus tonnam auri unâ manu correptam sacco imposuit et illos rogavit: »Quidni statim plus auri apportavistis, hoc enim est tantulum, ut vix fundus sacci obtegatur«. Tum rex iussit paulatim et gradatim apportare totum thesaurum suum, qui sacco cum impositus esset, sacci ne dimidia pars erat completus. Vir autem robustissimus vocavit: »Afferte plura, nam istis tittibiliciis saccus non completur« Ita factum est, ut etiam septem milia curruum auro in toto regno essent complenda; quos currûs cum bobus adjunctis sacco imposuit et »Haud diu« inquit, »istos carrulos inspiciam, sed sumam quaecumque afferentur, ut tandem saccus compleatur«. Omnibus autem impositis tamen multum loci restitit vacuum, et vir robustissimus locutus est: »Tandem, mehercules, isti rei finem

¹ +tonna, -ae f. orig. *Tonne*. a.1142, Ronald Edward Latham, Revised medieval Latin word-list from British and Irish sources. Oxford 1965, p.486.

imponam, nam aliquando saccus est colligandus, etsi nondum est completus». Deinde sacco subbaiulato unâ cum sodalibus abiit.

Nunc autem rex cum videret unum tantum virum divitias totius terrae auferre, ira incensus equitibus suis imperavit ut equis ascensis sex viros insequerentur et illi robustissimo saccum auferrent.



Duae legiones militum sex viros mox assecuti inclamaverunt: »Vos estis captivi, deponite saccum auri, alioquin trucidabimini«. At tum flator: »Quid dicitis?« inquit, »nos esse captivos? Potius vos omnes in aere saltabitis«, una nare digito conclusa altera duas legiones flando tam vehementer amovit, ut milites disiecti per aerem caeruleum trans omnes montes volarent, unus huc, alias illuc. Quidam optio veniam precatus clamavit se novem iam vulneribus affectum fortem esse militem, qui tantam infamiam non mereretur. Tum flator paululum minus flavit, ut ille optio salvus humum deveniret, et militi dixit: »Nunc fac eas ad regem et dic ei, ut plures equites nobis mittat, me in aera flaturum esse illos omnes«. Hoc audito rex: »Istos sex viros« inquit, »sinite abire, qui sint extraordinarii«. Denique sex viri divitias suas domum portaverunt, inter se diviserunt, necnon laete vixerunt usque ad finem suum.

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T.

Sechse kommen durch die ganze Welt

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

* *
*

MYTHI GRAECORUM

*A GUSTAVO SCHWAB THEODISCĒ NARRATI
A LEONE LATINO LATINĒ REDDITI*

Cap.52: Hercules et Deianira



**ECCE HERCULES CUM ACHELOO DEO FLUVIALI
IN DRACONEM MUTATO PUGNANS**


Statuam confecit François Joseph Bosio (1768-1845)

Nonnullis facinoribus in Peloponneso factis heros in Aetolian urbemque Calydonem ad regem Oeneum pervenit, cui fuit filia pulcherrima nomine Deianira. Quae petitione nuptiali molestissimâ miseriam passa est maiorem quam ulla mulier Aetolica alia. Primo ea vixit Pleurone in alterâ urbe principali regni sui patrii. Eodem autem Acheloos, quidam fluvius, venerat petitor nuptiarum et in tres figuras varias mutatus a patre nuptias Deianira petivit. Aliquando idem vénit in taurum mutatus, deinde in draconem versicolorem atque tortuosum, tum in humanam quidem formam, sed capite taurino instructum, e cuius mento hirsuto demanabant recentes rivi fontani. Deianira autem petitorem nuptiarum tam atrocem exspectare non passa est; itaque a deis mortem implorabat instantissimê. Diu Deianira petitori restiterat, sed is in dies fiebat petulantior, nec pater prorsus recusavit, ne filiam concederet deo fluviali, qui esset divinae nobilitatis antiquissimae. Tum sôro quidem, sed adhuc recto tempore Hercules alter petitor apparuit, cui Meleager amicus narraverat de pulchritudine huius filiae regiae excellentissimâ. Qui cum praesensisset se hanc virginem amabilem non accepturum esse nisi pugnâ ferventissimâ, tam bene erat armatus quam alioquin pugnaturus. Hercule palatum accidente pellis leonina vento huc illuc agitabatur, eius pharetra sagittis resonabat, heros ipse clavâ, ut eam probaret, âera verberabat. Cum deus fluvialis Herculem videret advenientem, vénis capitis taurini turgescentibus cornua conatus est Herculî impellere. Rex autem, cum Oeneus utrumquem petitorem tam pugnaciter atque horribiliter coram se stantem videret, neutrum amatorem potentem recusatione laedere volens pollicitus est se filiam daturum esse ei, qui alterum pugnans esset superaturus.

Mox coram rôge, reginâ, filiâque Deianirâ pugna incohata est saevissima. Sonabat pugnus Herculis, sonabat eius arcus, sed ingens caput dei fluvialis taurinum diu invulneratum invectum est in adversarium ictibus cornuum mortiferis. Denique pugna facta est luctatio, bracchia bracchiis circumclusa sunt, capita et membra sudore abundabant, uterque vir gemebat labore, qui erat humano maior. Denique filius Iovis vi superans deum fluvialem robustum humum deiecit. Is autem statim in serpentem mutatus est; at Hercules iam pridem serpentes tractandi peritus, eundem correptum iam suffocavisset, nisi Acheloos subito mutatione mutatâ ad formam tauri

redactus esset. At Hercules non perturbatus est, cornu correpto monstrum tantâ vi humum praecipitavit, ut cornu diffriingeretur. Nunc deus fluvialis confessus est se superatum esse sponsamque reliquit victori. Acheloos, qui olim ab Amaltheâ nymphâ acceperat cornu copiae pomis omnis generis, mâlis granatis uisque completum, hôc cornu permutavit proprium, quod ab Hercule erat abruptum.

Connubio facto heros modum suum vivendi haud mutavit; qui – ut antea iam solitus erat facere – ab uno periculo subeundo properabat ad alterum; ad uxorem eiusque patrem reversus, quia puerum sibi cenanti aquam oblaturum nolens occidit, iterum coactus est unâ cum iuvene uxore et Hyllo filiolo, quem Deianira ibi sibi pepererat, aufugere.



Cap.53: Hercules et Nessus

Nunc Hercules iter fecit a Calydone ad Trachin, ubi visitavit Ceycem amicum suum. Hoc fuit fatalissimum omnium itinerum, quae Hercules umquam fecerat. Cum enim ad Euenum flumen pervenisset, ibi

invénit Nessum centaurum, qui mercedis causâ peregrinos solebat manibus trans flumen ferre et hoc privilegium a deis sinceritatis suae causâ sibi attributum esse gloriabatur. Hercules ipse quidem Nesso portatore non eguit; qui flumen transgressus est ingentibus gradibus, sine ullo auxilio alieno. At Deīaniram transportandam tradidit Nesso, a quo rogatus est de mercede solitâ; tum centaurus uxorem Herculis umeris imposuit et vegetê per aquam portavit. At medio in vado pulchritudine mulieris excitatus ausus est eandem manu improbâ subigitare. Hercules ad ripam versans clamorem uxoris auxiliu petentis audiens celeriter se convertit. Cum Hercules uxorem videret ab isto semihomine violenter correptam, sine morâ sagittam alatam e pharetrâ sumptam tam vehementer iaculatus est per dorsum Nessi cum praedâ suâ ripam ascendentis, ut telum e pectore emitteretur. Deīanira autem e bracchiis Nessi humum delabentis evulsa ad maritum properatura erat, cum centaurus moriens adhuc ulturus eam revocavit et haec verba fecit fallacia: »Audi me, filia Oenei! Quia tu es ultima a me portata, opto ut tu, si me sequi volueris, commodo fruaris ministerii mei! Recipe sanguinem recentem, qui e vulnere scaturivit mortifero et nunc, ubi corpori meo infixâ est sagitta, quae salivâ serpentis Lernaei venenosâ est imbuta, prorsus incrassatus et facilis collectu circumfusus est; idem enim sanguis utilis tibi erit ad animum mariti tui vi magicâ vinciendum. Subuculam mariti si infeceris, idem numquam aliam mulierem, quamcumque umquam invenerit, plus amabit quam te!« Isto testamento doloso relicto Nessus vulnere venenato statim mortuus est. Deīanira, quamquam amorem mariti non addubitavit, tamen secundum Nessi präceptum sanguinem incrassatum vase collegit, quod in promptu habuit, et idem vas servavit Hercule inscio, qui nimis remotus erat, quam ut videret, quid uxor faceret. Deinde ambo nonnullis aliis periculis superatis feliciter pervenerunt ad Ceycem, regem Trachinis, et unâ cum comitibus Arcadiis, qui Herculem quocumque sequebantur, ibidem domicilia condiderunt.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABBERTITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 — Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM — Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 — Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 — Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 — Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 — Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM SEXTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 30. m.Sept. a.2018

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

[**http://www.leolatinus.de/**](http://www.leolatinus.de/)